



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis

Raynaud, Théophile

Romae, 1647

Punctum II. Si essent duo visibilia Ecclesiæ capita, vt habet noua de SS. Petro & Paulo imaginatio, non posse declinari mystici corporis Christi monstrositatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10481

18 Procul ergo à Christi corpore mystico, quod est Ecclesia (sicut ab eius corpore physico & naturali cum quo proportionem seruat;) omnis deformitas, & macula, ac ruga, aut aliquid eiusmodi; idest omnis defectus, aut exuperantia corpori indecora: omnis, inquam, labes, & deformitas; & multò magis omnis monstrositas: quia si tale quid Ecclesiam deturparet, perperam dicta esset perfecta, & tota pulchra ac absque macula, & quouis alio huiusmodi, hoc est quocumque dedecente exquisitam lectissimi corporis pulchritudinem; quale haud dubiè esset monstrositas quæcumque; quo nomine deformitas, non vulgaris, sed extraordinaria, insinuatur.

P V N C T V M I I.

Si essent duo visibilia Ecclesia capita, ut habet noua de SS. Petro & Paulo imaginatio, non posse declinari mystici corporis Christi monstrositatem.

I **R**ESTRINGO sermonem ad duo visibilia Ecclesia capita, quia non est hinc quæstio de binario illo capitum subordinatorum, quorum vnum nunc nobis non est aspectabile, nempe Christus Dominus; alterum verò vicaria eius præfectura fungens, fuit suo tēpore S. Petrus; & deinceps is, qui ad regendam Ecclesiam S. Petro cum pari potestate sufficitur: vt proinde ab aliquibus, dictus sit *sui temporis Petrus*, vt in Onomastico Pontificio refero. Hæc duo capita, certum est non inferre monstrositatem corpori Christi mystico, siue Ecclesiæ Dei: quia si inuicem

D 2 com-

comparentur, non sunt duo capita. Solus quippè Christus habet rationem capitis; Pontifex autem non habet, nisi rationem membri subiecti, Christo antonomastice capiti subordinati. Qua ratione eliditur difficultas imperite mota à Sectarijs, contra titulum *Capitis Ecclesie*, Romano Pontifici tributum: quasi inde Christus fiat capitis minor, si aliud statuatur corporis Ecclesie caput. At (vt præmissi) Pontifex ad Christum comparatus, non est caput, sed membrum subiectum: Etiam si comparatus ad reliquam Ecclesiam, sit visibile eius caput, Christo subordinatum.

2. Præsens ergò disputatio, est de duplici capite nunc aspectabili, & non subordinato. Difficultas enim nostra tantùm est de facto, an scilicet aliquando fuerint binæ, simul Ecclesie capita visibilia, quorum vtrique ex æquo inesset potestas suprema Pontificia. Affirmat Anonymus, qui nuperrimè opus *de magnitudine Romana Ecclesie, ex SS. Petri & Pauli suprema Pontificatu* vulgavit; quamuis fatetur, post Beatos illos Apostolorum Coryphaeos, Pontificatum vni soli semper inextitisse, nec fieri nunc posse, vt pluribus inexistat: quia ea Pontificum pluralitas, est contra Christi institutionem; quæ pro solo tempore prædicationis S. Pauli, ratam habuit extensionem Pōtificatus simul ad plures. Voluisse verò Christum, vt S. Paulus ex æquo cum S. Petro esset Pontifex & Caput Ecclesie vniuersalis, confirmat is quem dixi Anonymus, ex quibusdam noui ac veteris Testamenti Scripturis; nec non ex quibusdā loquendi formulis apud Pontifices vsu receptis; itemque ex autoritate nonnullorum Conciliorum, sed maximè ex Patrum testimonijs, quæ ingenti numero aceruat, vt hanc esse doceat totius retrò Christianæ Ecclesie traditionem.

3. Assertio contraria, quæ negat S. Paulum fuisse ex æquo cum S. Petro caput Ecclesie, est ex fide certa. Ita enim

enim ante hoc octiduum, à Summo Pontifice, post diligentem discussionem est declaratum. Nec illam nouam bicipitis Ecclesiæ Corporis imaginationem, habere in Scriptura, vel in traditione fundamentum, quantumcunque pro ea iactentur Scripturæ, atque traditio, infra demonstrabo. Nunc auspicabor eius confutationem, argumento quod ex optima Ecclesiæ per Christum constitutione proximè exposita ducitur. E contrario enim, si data essent bina illa simul Ecclesiæ Capita, fatendum esset corpus Christi mysticum fuisse monstrosum: quod cum illa exquisita eiusdem corporis perfectione, quam præmissi, apertè pugnat. Non erit porrò difficile, eam monstrositatem euincere, per proportionem ad monstra generis naturæ, de quibus Philosophi 2. Physicor. & Medici tractantes foetus formationem, nec non qui de monstris egere ex instituto, vt Arnoldus Sorbinus, Ambrosius Paræus, & omnium diligentissimè Martinus VVeinrichius.

4 Vt ea quam vestigo proportio innotescat, præmitto, habere Physiologos pro monstroso, effectum omnem à recta & solita secundum naturam dispositione deflectentem; ita vt in illius effectus productione non seruetur solemnis vsus naturæ, hoc aut illud per ordinem ad certum finem in eo effectui deposcentis. Est enim monstrositas, propriè ac præcipuè affectio viuientium; omnium quidem, ac etiam Plantarum, vt Theophrastus latè prosequitur, sed tamen præsertim animalium, & maximè hominis. Extra viuentia autem, non habet propriè locum monstrositas, sed tantùm per proportionem, vt de artefactis à Philosopho^a statuitur. Quia ergo in viuentibus, corpus organicum quo constant, multis integratur partibus ad certam functionem ex naturæ præscripto destinatis; quælibet verò pars, ad suam illam functionem ritè obeundam, talem quantitatem, aut certum

appa

apparatum similarium, aut dissimilarium partium exigit; proclive est statuere, quando effectus sit monstruosus, & quando monstruositate vacet. Si enim adsit is quem dixi modulus & apparatus, effectus dicetur perfectus; quippè conformis ei naturæ paradigmati, quod à Philosopho ^a *ἕξ* vocatur. Si autem effectus aliter se habeat, ac proindè fiat digressio, ac *παρέκβασις* à scopo in illius organi efformatione intento (vt idem Philosophus alibi^b loquitur:) hoc est, si partium ad eius structuram concurrentium, aliqua redundet, aut deficiat, vel vi conformationis aliter afficiatur, quàm postulet functio, cui obeunda organum illud ex communi lege in coeteris seruata, destinatur à natura; puta si aliquid ei desit, aut ultra debitum modum multiplicetur, vel grandescat ac tenuetur, monstrum exoritur; plerumque quidem attestans parentum immoderationi, atque licentiæ, vt ex Hebræorum & Iaconum legibus confirmat Æneas Gazæus^c, & in Dioptra Philippus Solitarius^d: aliquando tamen citra parentum culpam, penès varias causas de quibus minutè Ludouicus Mercatus^e, nominatim ex hoc principio statuens, post Aristotelem^f, animal biceps monstris esse annumerandum. Subscribit Iacobus Rueffus^g, visos abs se bicipites referens, & alios in Sicilia natos ex Rabbi Mose in Alphorismis^h commemorans, quos omnes accenset monstris. Nec aliter Ioannes Riolanus in Disputatione de Foetu Parisiensi, edito anno 1605. cui vnicum erat cor, & iecur vnicum, ac venter item vnicus; ob capitis tamen duplicitatem, monstrum fuisse; pro certò habetⁱ, & latè confirmat. His paucis de naturali monstruositate præmitteendis, necesse habui proferre monstruositati in Ecclesiæ Corpus inferendæ, si bina eius fuissent capita visibilia: quia vt cum Philosopho præmissi, de monstruositate artefactorum, pronuncian- dum est per Analogiam ad monstra naturalia. Corpus
auy

a 2. *physicor.*

b 4. *de gener. anim. c. 4.*

c in *Theophr. d lib. 4 c. 10.*

e lib. 3. *Gynecior. c. 7.*
f lib. 4. *de gener. anim. c. 3.*
g lib. 5. *de gener. hom. c. 3.*
h *partic. 25.*

i *cap. 2.*

autem mysticum Christi, quod est Ecclesia, est diuinum quoddam artefactum: sicut reliqua corpora moralia humano studio constituta, sunt artefacta humana, & creati ingenij opificia.

5. Hæc cum ita se habeant, non est difficile ostendere, corpus Christi mysticum, si quando duo visibilia capita habuisset (vt de SS. Petro & Paulo simul summis ex æquo Pontificibus statuit noua imaginatio) futurum, fuisse monstrosum, in genere corporis mystici, iuxta illud Innocentij III. cap. *Quoniam* de offic. ordinar. [Prohibemus omninò, ne vna eademque Ciuitas, siue Diocesis, diuersos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuersa capita habens, quasi monstrum.] Rectè Pontifex Diocesim bicipitem, monstrum esse morale statuit: & idem dico de Ecclesia vniuersali, prout est vnum corpus. Ad corpus quippè morale perfectè constitutum, cuiusmodi à Christo eius opifice conditam esse Ecclesiam puncto superiore monstrauius, necessaria planè est vnitas capitis. alioquin euerteretur regimen monarchicum, quod omnium optimum esse, & contineri in corporis moralis exquisitè fabricati perfectione, præmissimus: Ipsaque capitis supremi morale corpus dirigentis notio, vnitatem apertè præfert. Nam vt verè sit supremum caput, necesse est, vt functiones capitis obeat, dirigendo pro arbitrio membra subiecta, quò iudicat expedire, vt commodè corporis consulatur. Quodcumque verò esse dixeris supremum mystici corporis caput, excidet ea dignitate, si compar accedat. Nihil enim facilius erit, quàm vt functiones ab vno illorum capitum indictæ, inturbentur ab alio, ob humanæ voluntatis in contraria nisum, & procliuem ab aliorum ductu discrepantiam.

6. Qua in parte obseruandum est, latum discrimen inter operationes vegetatiuas, quæ à cognitione non
pena

^a lib. 5. de con-
ceptu hom. c. 3

pendent, & rationales, ad quas pertinet rectio corporis
moralis, per caput politicum. Circa operationes enim
vegetatiuas, contigit aliquando, corpus physicum bi-
ceps, pacificè, & absque dissidio ad annos non paucos
durare. Scribitque Iacobus Rueffus ^a quemdam abs se
visum, qui ad perfectam staturam excreuerat, & iam tri-
cenario maior erat, cum in illum incidit; cum coetero
corpore simplex esset, humeris tamen & capite gemi-
nùs erat, ita vt vnum caput antrosum, alterum retror-
sum haberet, mira & planè exquisita vtriusque capitis,
barbarum quoque, & oculorum, ac vocis similitudine;
cum eodem cibi & potus, & vegetatiuarum quarumuis
functionum, ac etiam rei vxoriæ, (nam coniugium ini-
uerat) desiderio. Hæc appetitionum quoad functiones
vegetatiuas, tanta in bicipiti corpore consensio, potuit
ex vnitatem stomachi & iecoris promanare; quia ex illis
partibus stimuli nutritionis, ac coeterarum vegetatiua-
rum operationum petuntur. At rectio, est functio vo-
luntatis superioris, quæ dirigitur prælucente iudicio.
Huius autem, pro rerum humanarum multiformitate,
& obiectorum discrimine, insignis est varietas; atque
adèò ægerrimè reperitur ea consensio appetitionum in-
ter binas superiores voluntates; quia sicut non vno sen-
sù, siue iudicio, ita nec voto viuitur vno. Itaque si de-
clinanda est monstrositas corporis mystici, optimè sub-
stantialiter ab authore Christo constituti, vnicum sit ca-
put eius supremum, siue non subordinatum, necesse est;
ne si plura inducantur, collidantur voluntates, penes
quas oportet esse habenas rectionis; & ea optima sub-
stantialis constitutio politici corporis, sus deque euer-
tatur. Præclarè hanc ratiocinationem profecutus est Mi-
chael de Aninyon ^b in opere de vnitatem ouilis & pasto-
ris.

^b cap. 12.

7 Hoc ipso argumento, graues Patres polytheismum
impu-

impugnantes, monstrarunt non posse esse, nisi vnum, vniuersitatis mundanæ rectorem, cuius nutibus orbis administraretur, pessum alioqui iturus, & ordinatæ rectionis constantia destituendus, si plura essent suprema Capita non subordinata, à quibus regeretur. Prudentius ^a *sub initium hamartig.* optimè hoc perspexit, his præter cœtera.

*Aut vnus Deus est rerum cui summa potestas,
Aut quia iam duo sunt, minuuntur dispare summo.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus vnum.*

Non videtur agere de summo magno, intrinsecè, ac in se, quod non potest, nisi vnum esse: Estque alia argumentatio, qua Tertullianus & Nouatianus, Dei vnitatem confirmant, vt in Nat. Theologia ^b refero: sed agit de summo vniuersitatis rectore, quem vt summus sit, nec rectio suprema & nemini subordinata euertatur gliscète multiformitate, necesse est vnicum admitti. Quam esse rationem communem Doctorum, ad probandam vnitatem numinis, dixit Rabbi Moyse ^c. Optimè verò præter cœteros eam rationem adhibuere S. Athanasius ^d agens contra Idola, atque Lactantius ^e, qui facillè conlecuturas lites interminabiles, cum excidio bonæ rectionis, si plures essent rectores supremi, sic confirmat. [Non vident, qui Deos multos esse credunt, fieri posse, vt aliquid diuersum velint, ex qua re disceptatio inter eos & certa men oriatur: sicut Homerus bellantes inter sese Deos finxit, cum alij Troiam capi vellent, alij repugnarent. Vnius igitur arbitrio, mundum regi necesse est. Nisi enim singularium partium potestas ad vnam prouidentiam referatur, non poterit summa ipsa constare potestas; vnoquoque nihil curante amplius, quàm quod ad eum propriè pertineat: sicut ne res quidem militaris, nisi vnum habeat Ducem, atque rectorem. Quod si in vno exercitu tot fuerint Imperatores, quot Legiones, quot Cohortes, quot cunei, quot alæ; primùm nec in

^a *sub initium hamartig.*

^b *dist. 7. nu. 6.*

^c *l. 1. director. d. ubi. c. 74.*
^d *sub med. orationis.*
^e *l. de ira Dei. c. 11. ac. 1. inq. c. 3.*

frui poterit acies, vnoquoque periculum recusante, nec regi facilè aut temperari, quod suis proprijs cōsilijs vtantur omnes, quorum diuersitates plus noceant, quàm profint. Sic in hoc naturæ rerum Imperio, nisi vnus fuerit ad quem totius summa cura referatur, vniuersa soluentur & corruent.]

Hoc ipsum est, quod de mystici corporis directione vrgeo; si duobus supremis Caputibus ex æquo & absque subordinatione regentibus committeretur. Itaque sine dubio, huiusmodi corpus morale, cui ex Authoris Institutione, optima rectorio debetur; & quasi substantialiter perfectè efformatum supponitur; si duo ei præponantur capita, euadet monstruosum, & vniuersa eius rectorio degenerabit in exlegem confusionem, quæ in artefacto politico, est analogica monstruositas, pro qua probanda satagebam.

8 Non erit verò operosum eam confirmare, penès aliud analogiæ fundamentum: nimirum ex eo, quod nemo reuocaturus sit in dubium, quin corpus physicum esset monstruosum, cui & rationalis, & bruta anima insideret. Cuique enim illarum animarum, dissentaneus organorum apparatus, monstruositatem necessariò inferens deberetur. Vt autem seruetur proportio corporis morali cū corpore naturali, si essent in corpore morali Christi plura capita, oporteret esse in eo plures animas: Nam in corpore physico, ex capitis duplicitate, binarius animarum colligitur de probatiore sententia. Non me latet Iulianum Pomoërium^a ancipitem hæere, sit ne in bicipiti corpore duplex anima, debeatque proindè in resurrectione duo corpora recipere. Id quod asseruit D. Augustinus^b de illo bimembri, cuius ait meminisse S. Hieronymum: Nec mirum, quia verè erant gemini temerè concarnati & agglutinati. At etiam cum solum caput est duplex, binas corpori illi inexistere animas, habet

^a lib. 3. progn.
c. 28.

^b in Euehiv.
c. 87.

bet communissima sententia . Aristoteles ^a quidem du-
 bij huius expeditionem , petendam decernit ex cordis
 vnitate ; ita vt si cor sit vnicum, vnica item sit in bicipi-
 ti corpore anima. Id ille affirmat, quia cor habet pro par-
 te præcipua animalis, reclamantibus, non immeritò Me-
 dicis, qui stant pro capitis primatu . Ideòque vbi duplex
 est caput, duplicem agnoscunt animam : quod non ob-
 scurè insinuat S. Augustinus ^b, vocans duplicem homi-
 nem, eum qui infernè simplex erat, sed biceps .

9 Video sanè passim Theologos , quoties binum est
 in foetu monstroso humanum caput, iubere geminari
 baptismum : quod est euidentis argumentum, duas ab eis
 in huiusmodi corpore agnosci animas . Videtur Henricum
 Gandauensem ^c, atque Capreolum ^d . Ex Medi-
 cis fusè id excutit Antonius Merindolus ^e, & Ioannes
 Riolanus ^f disputans de foetu monstroso Parisijs edito
 anno 1605. Qui cõfirmat animarum in bicipiti corpore
 multiplicatam, ex varietate affectionum, quæ notata
 est in quibusdam exemplis corporum bicipitum cœtera
 simplicium . Quale erat, quod anno 1552. Oxonij na-
 tum est solo capite, ac manibus multiplex : Per quin-
 decim enim dies quibus communiter potitum vita est
 vtrumque caput, magna in eis affectionum diuersitas se
 prodidit . Vigiliam siquidem & somnum non simul ca-
 piebant, sed vno vigilante, alterum dormiebat: cum vnum
 lætatur, alterum moestitia grauabatur, quod obserua-
 tum est per quindecim solidos communis vitæ dies, qui-
 bus exactis vnum præmortuum est, altero ad vnū diem
 superstite . Eadem affectionum dissimilitudo, notata est
 in foetu bicipiti, & quadrimano, cœtera simplici, edito
 Nortumbriæ de quo Buchananus ^g, & Hector Boethus ^h,
 qui referunt cum is adoleuisset, imbutum esse varijs di-
 sciplinis, & multorum idiomatum peritia, præsertimque
 in Musica insigniter præcelluisse : nec rarò bina capita

^a lib. 4. de ge-
 ner. anim. c. 4.

^b l. 17. Cims.
 c. 8.

^c quodlib. 6. q.
 14.
^d in 2. dist. 13.
^e 1. art. 3.
^f Exerc. 3. Me-
 dica.
^g cap. 6.

^g l. 13. hiffor.
^h lib. 27

in pugnantibus affectibus scissa ad iurgium usque efferverunt, si post consultationem in commune præmissam, vni aliquid accideret, quod alteri non satis probaretur; Donec post communis vitæ annos octo supra viginti, præ mortuo vno capite, alterum ad dies non paucos superstes, denique ab adiuncto demortuo abem, ac mortem traheret. Erat ergo in corpore, ferè cœtera simplici, sed bicipiti, multiplex anima, quàm ea affectionum dissidentium varietas perspicuè manifestabat. Quandoquidem igitur corpus morale seruat proportionem cum physico, vbi varia sunt politici corporis capita simpliciter dicta & non subordinata, necesse est animam quoque assignare multiplicem.

*a in Ps. c. poe-
nis, ad vers. 1.*

10 Hinc perspicuè euincitur, monstrositas quam secuturam dicebam, si Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, biceps constitueretur. Deberet enim pro capite multiplicitate, multiplex spiritu animari, vt salua sit proportio cum corpore physicè bicipiti, quod duplici anima informatur, vt præmissi. Huiusmodi autem mysticum corpus, duplici illo spiritu instructum, non minus monstrosum esset, quàm corpus effigie humanum, cui præter animam rationalem, alius inexistet informans spiritus brutus, puta Equinus, aut Suillus. Nam corpus hoc mysticum de quo agimus, viuit de singulariter vnico Christi spiritu, iuxta illud S. Gregorij^a. [Christus cum sua tota Ecclesia, siue quæ adhuc versatur in terris, siue quæ cum eo iam regnat in cœlis, vna persona est; & sicut est vna anima, quæ diuersa corporis membra viuificat, ita totam simul Ecclesiam vnus Spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est; sic sancta Ecclesia, quæ corpus eius est, eodem Spiritu sancto repletur, vt viuat, eius virtute formatur, vt in vnus fidei, & charitatis compage subsistat. Vnde dixit Apostolus;

Ex

Ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Istud est corpus, extra quod non viuificat spiritus. Vnde dicit B. Augustinus ^a. Si vis viuere de spiritu Christi, esto in corpore Christi. De hoc spiritu non viuunt hæreticus, non viuunt schismaticus, non viuunt excommunicatus: Non enim sunt de Corpore. Ecclesia autem spiritum viuificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret. Scriptum est autem, *qui adhaeret Domino, vnus spiritus est cum eo.*]

^a tract. 26. in
Ioan.

II Si igitur huic singulariter vnico Christi spiritui animanti Ecclesiam, quæ corpus Christi est, alius superadderetur spiritus (quod consequens esset ad visibillum caputum geminationem;) horrenda existeret monstrositas; qualis, vt dicebam, enasceretur, si rationalis & pecuina anima, vni corpori effigie externa simplici confererentur. Nec referret, quod is spiritus eidem corpori cum diuino commissus, fingeretur rationalis. Nam sicut homo præ Deo est pecus brutum, vt elegantissimè prosequitur Origenes ^b, ita hominis spiritus collatus ad diuinum spiritum, brutus est & pecuinus. Itaque monstrositas corporis Ecclesiæ bicipitis, penes hanc quoque considerationem duplicis spiritus, eam necessariò informatur, rata esto.

^b homil. 3. in
Exod.



Non tolli monstrositatem mystici corporis Christi, quod est Ecclesia, ex eo quod bina eius visibilia capita, vnum, non plura fuisse perhibeantur.

INTVTVM valdè perfugium captauit binorum Ecclesiæ capitum faber, ratus declinaturum se monstrositatem quam vrgemus, si diceret, duo capita, quæ commentus est, idcirco non incommodasse concinnitati & optimæ constitutioni mystici corporis Christi, atque adeò neque binas animas mysticas, neque monstrositatem inuexisse, quod non fuerint reipsa duo capita, sed vnicum. In quam rem (si Deo placet) exemplum adhibet ipsiusmet Augustissimæ Triadis, quæ triplex cum sit personis, est tamen vnicus vniuersorum moderator & rector. Adhibet præterea suffragium S. Gregorij^a, qui scribens ad Eulogium Alexandrinum, affirmat tres sedes Patriarchales, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, vnam & eandem S. Petri Sedem fuisse; quam ita renerent tres Episcopi, vt tamen omnes vnum essent in S. Petro; & eius vnus authoritate ad tres illos transfusa, & in tribus vnica potirentur. Quinetiam cum Patriarchatus ad quinarium excreuerunt, & Ecclesia, vt Theodorus Studita^b dixit πεντακέφαλος, *quinticeps* facta est, vnicum tamen omnes fuisse caput, dixit his verbis Theodorus Balsamon^c. [Sanctissimos quinque Patriarchas, nouimus esse vnum caput corporis omnium Ecclesiarum Dei.] Non potest igitur videri nouum, Apostolorum Principes, ita statui duo capita, vt tamen non sint nisi vnum.

^a libi. 6. regis
epist. 37.

^b epist. ad Nau
erat. data an-
no 819.
^c Opusc. de 5.
Patriarchis,